



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum
Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

Puente, Luis de la

Coloniae, 1614

Med. 44. De vestium partitione; & Sanniis quas in cruce Christus sustinuit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

MEDITATIO XLIV.

DE VESTIVM CHRISTI
diuisione, & irrisionibus, quas in
Cruce sustinuit.

PUNCTVM I.

a Ioan. 19. 23.

Matt. 27. 35.

Luc. 23. 34.



I.

MILITES a ergo cum cruci-
 fixissent eum, acceperunt ve-
 stimenta eius, & fecerunt
 quatuor partes, & vnusquisque
 militi partem dederunt.

CIRCA hanc particu-
 lam vestium consideranda
 sunt eius causa & mysteria, quæ in ea latent.
 Nam ex parte lateliitum, qui carnifices fuerunt,
 & crucifixerunt Dominum, causa fuit ipso-
 rum cupiditas: cum enim esset vile genus ho-
 minum, vnusquisque partem illam vestium ac-
 cipere voluit, quæ sorte illi contingeret; quæ
 propterea diffuerunt, idque in ipso Christi
 conspectu, vt amplius adhuc ipsum irride-
 rent, quasi dicentes, iam tibi vestes necessariae
 non sunt, Et dum eas diffuerent, aut discinde-
 rent, dixerit forte eorum quispiam, ad magis
 eum cruciandum: laceremus huius blasphemias
 mi vestes, quas ipse ob dictas in Deum blas-
 phemias, lacerare noluit. His & aliis similibus
 oculos & auros Domini IESU torquentur.

illi. O sacratas vestes: ex quibus *virtus exi-* b Luc. 6. 19.
bat vt, sanaret omnes eorum languores, qui il-
las tangebant: quomodo ad Gentis aded pro-
 phanae manus peruenistis? Sed eius humilitas,
 qui vos haecenus induis, hanc vobis humilia-
 tionem attulit, vt sic mea in vestibus super-
 bia mederetur. Hanc mihi Domine humilita-
 tem tribue, qua lubens portem, quascunque
 rebus meis illatas iniurias.

II.

SECVNDA causa mysterium continens,
 fuit ex parte IESV Christi Domini nostri:
 qui vt perfectissimae Euangelicae paupertatis
 exemplum nobis relinqueret; non fuit cōten-
 tus, nudus in cruce pendere, sed etiam adiecit,
 vt vestibus spoliatus, quae tota erat eius facul-
 tas, illas etiam alienaret; ita vt neque earum
 vsum haberet, nec dominiū, aut proprietatē,
 quam in pauperes illos satellites, licet hostes
 crudeles, transtulit. Ex quo vehemens concipi-
 am desiderium, implendi quā optimē mihi
 licebit, quod hic Dominus dixit, *c si vis perfe-* c Matt. 19.
ctus esse, vade, vende qua habes, & da pauperi- 21.
bus, & veni sequere me; & illud: *d qui non re-* d Luc. 14. 33.
muuat omnibus qua possidet, non potest meus
esse discipulus.

III.

TERTIA causa fuit, vt immensam chari-
 tatem, & liberalitatē suā ostenderet, cū de-
 dit hominibus, quicquid habebat, corpus, san-
 guinē, & omnes facultates; & nominatim, vt
 significaret, cōs homines, ex quacunque qua-
 tuor mundi partium ad ipsum venientes, pos-
 se partē habere vestigiū gratiae suae charitatis

c Hebr. 6. 6.

& virtutum; vt eas induentes, sese exornarent. Et vt quatuor hi satellites, qui illum crucifixerunt, ius habuerunt, ad has vestes ipsius sanguine tinctas; sic peccatores, peccatis suis crucifigentes sibi metipsis filium Dei, ius habent, ad has virtutum vestes petendas, non quidem ob sua merita,, sed propter eiusdem Iesus v Christi sanguinem, qui virtutes illas semper sibi coniunctas habet. O dulcissime Iesu, gratias tibi, pro infinita tua liberalitate, quae pretiosis tuis vestibus, eundem vestire digneris, qui te ad eod ignominiosae cruci affigere permitet me, quod peccatis meis complex fuerim te crucifigentium; sed quandoquidem tu admodum liberalis, fac me sacratissimarum vestimentuarum participem, excellas tuas virtutes mihi communicando.

PUNCTVM II.

a Ioan. 19. 23

ERAT autem a tunica inconsutilis de qua per contexta per totum : dixerunt enim milites ad inuicem. nō scindamus eam, ne forte sortiamur de ea cuius sit . vt Scriptura impletur, b partiti sunt vestimenta mea sibi; & in vestem meam miserunt sortem. Hic etiam sunt considerandae causae, & mysteria huius facti, quod ita distincte, voluit Deus prophetae oraculo praedici.

b Psal. 21. 19

I.

PRIMUM ex parte militum ea fuit causa, quod si tunica fuisset discissa, nulli eorum fuisset vsui, eod quod integra esset, non consueta, sed à B. Virgine (vt pie creditur) contexta per totum

tum: quæ tenerrimè sensit, adeò pretiosam tunicam, sanguine Filij sui tinctam, in manibus videre huiusmodi vilium hominû. O Virgo suprema; quàm potiori iure dicere tibi liceret id, quod aliquando dixit Iacob: *c tunica filij mei est, fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph*: cuius sanguine tinctam video tunicam, quam ego illi dedi. Fera pessima inuidiæ eum posuit in cruce, eiusque vestem tinxit, non hædorum sanguine, sed propriarû venarum; vt eosdem à morte liberaret, qui eam illi inuidiosè intulerunt! O fera pessima inuidia; quomodo audes eum, qui ipsa sit charitas deuorare! ô charitas infinita; quæ etiam feram, à qua deuoraris, occidis; destrue hanc in nobis feram, vt veræ charitatis tunicam integram conseruemus.

SECUNDA huius facti causa fuit, quoniã hæc tunica, humanitatẽ ipsam Christi Domini adumbrabat, à summo vsque deorsum contexta, quia inde ab ipso Cœlo, absq; viri opera, in Beatissimæ Virginis utero, virtute Spiritus sancti texta fuit, quæ pretiosissima est vestis fidelium, quam omnes induunt, dum baptizantur, iuxta illud Apostoli, *d quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*, vitã suam eidem conformantes, in vnitione charitatis, nulla admissa diuisione aut separatione, *e quia Christus diuidi non potest*. Felix ille est, cui vestis hæc Cœlestis contingit, qua efficitur fors Dei, & eius hæreditas.

II.

III.

EADEM Christi tunica, adumbrat Sponsam
h h 2 eius

f Cant. 6.8.

eius Ecclesiam, in qua nullam vult esse diuisionem, sed vt se vnā conseruet, in vnitāte fidei & charitatis; & ideo in canticis canticorum de ea dicit, *vna est columba mea, perfecta mea*, quia vnus est Spiritus sanctus, quē Columba significat; & vnus spiritus Christi & perfectionis, quæ in ea residet. Et qui eam diuidere tentat, etiā tentat diuidere Christū, & pretiosam eius tunicam, quæ vna & integra esset; quæ ille crudelior, qui hoc tentat, qui qui illum crucifixerunt: quia discindere & ac lacerare, quod illi ausi non sunt; nec ipsemet Dominus, ad id facultatem eis fecit. **DEVS** pacis & amoris, ne in tua Ecclesia permittas esse schisma, aut in religione discordiam, aut in Christiano tuo populo vllam diuisionem: Sed omnes in charitatis vnitāte conserua, vt omnes sint vnum in te, possintque te, sicut pretiosa tunica induere, vt in regno gloriæ tuæ collocentur.

IV.

DENIQUE considerare licet; quod in Christus Dominus noster, vestes duas habebat: externam illam, quæ in quatuor illos milites fuit diuisa; & internam alteram, quæ vni soli obtigit; ita etiā externæ Christianismi ceremoniæ, Christianis omnibus conueniunt; quia omnes, earum participes esse possunt; virtus tamen interior, gratia videlicet, charitas, deuotio & spiritus vni soli. hoc est patris, ijsque inter se bene coniunctis, vnitāte scilicet carnis cum spiritu; & sensus, cum vnitāte in omnibus, quæ Deus iubet: ideo

que contendendum mihi est, ex numero esse horum paucorum, ut *Vnus* hic sim, cui felix adeo fors contingat, ut hanc diuinam tunicam accipiam, & illa me induam.

PUNCTVM III.

VESTIBVS iam diuisis, a *sedentes milites, seruabant eum.* a Matth. 27. 36.

FAS est credere milites hoc fecisse, ex præscripto Pilati, a quo id petuerant Iudei, quos mala conscientia timere faciebat, ne quis eum antequam moreretur, & viuentem adhuc, ex cruce deponeret, aut etiam quò prohiberetur, ne quis ad eum accederet, & refrigerium aut leuamen aliquod eorum, quæ aliis crucifixis dari consueuerant, ei adferret: quod fortè crucifixis cum ipso latronibus, ab aliquo fuit oblatum: nam custodia illa militum, non pro illis, sed contra Christum fuit adhibita. **O** Rex Cœlestis, cuius milites sunt innumeræ Angelorum legiones, qui Cœlestem tuum thronum circumstant, milleque laudum cantica tibi concinunt, quomodo te demisisti ad eò, ut in vili isto crucis throno esses, & custodes haberes vilissimos, & crudeles milites, qui te vituperare non cessant! exulto Domine, ob eam gloriam, quam habes in throno Cœlesti; affligor verò tristorque, ob ignominia & tormenta, quæ sustines in terra, & vtroque nomine te laudo & glorifico, cupiens particeps esse tuæ ignominia, bona spe, quòd sim postea æternæ tuæ gloriae consors futurus. Amen.

I.

II.

MOX perpendam, qua ratione Christi Domini nostri hostes, postquam illum crucifixerunt, non solum nulla compassione tangebatur, videntes tot ignominias & tormenta eum sustinere; sed potius diabolica quadam feritate, alia de nouo adiuere studebant, tum verbis, tum capitum motibus, nouis illum iniurijs & blasphemijs, dæmonis instinctu afficiebant, quibus ille nunc ad impatientiam, nunc ad diffidentiam aut inconstantiam in eo, quod inchoauerat, Christum commouere satagebat, verum innocentissimus hic Agnus etiam recentis hasce iniurias, inenarrabili patientia, & humilitate, magna constantia & animi fortitudine tolerabat, nullo verbo aut gestu, aliquo ostenso signo, quod illas sentiret, aut de ipsis blasphemantibus conquereretur; nulla debilitatis aut pœnititudinis, ob conscendam crucem, indicio dato: quo facto heroicum nobis dedit exemplum, ad tolerandas & superandas tentationes, quæ hoc modo nos aggredientur.

HAEC omnia perpendam, discurrens per quatuor genera personarum, quæ Christum in cruce iniurijs affecerunt, vt ex quatuor ipsius Euangelistis constat.

PUNCTVM IV.

a Matt. 27.
50.
Marc. 15. 29.

P R I M V M praterentes blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes, qui destruis templum Dei, & in triduo

illud read: si as; salua te metipsum, si filius Dei
es, descende de cruce. Luc 23. 35.

I.

EST autem fas credere, multos gestus & motus, ore & labiis, totoq; capite illos, dum hæc dicerent, fecisse; vt David insinuat in Psalmis suis: b omnes, inquit, videntes me, deriserunt me, locuti sunt labijs, & mouerunt caput; aperuerunt super me os suum, quibus adiecit Ieremias in suis lamentationibus: c plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam: sibilauerunt ore suo, ad irridendum; quos sibilos Redemptor ipse contempsit, vt antidotum inferret contra venenum, quod serpens infernalis, venenatis maledictæ suæ suggestionis sibilis effudit; & vt eiusdem sibilum contempsit, quando in pinnaculo templi existenti, dixit; d si filius Dei es, mitte te deorsum; sic nunc contemnit hunc sibilum, quem blasphemus Iudæorum ore edit, dicens; si filius Dei es, descende de cruce: imò quia filius Dei est, non vult ab ea viuus descendere, sed in ea mori; vt multos in ea, Deo filios generet per adoptionem: & vt simul ego intelligam, proprium esse filiorum Dei, non sponte descendere de cruce; sed in ea, mundo mori & peccato, perseverantes in perturbationum animi mortificatione vsque ad finem. O Filii DEI viui, ne permittas me, ab astuti infernalis serpentis sibilis decipi; quibus persuadere mihi contendit, vt à cruce, quam tui amore semel ascendi, descendam; da mihi in ea perseverare, sicut talis Patris decet

bPsal. 21. 8.

14 & 108.

2. 25.

cThre. 2. 15.

dMatt. 4. 7.

h h 4

filium,

filium, ne veri filij dignitate excidam.

DEINDE e Principes, Sacerdotum illudenes cum Scribis & Senioribus mutuo colloquentes ita, ut Christum audire posset, dicebant: alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere: si Rex Israel est, descendat de Cruce; & credimus ei: confidit in Deo: liberet nunc si, vult eum: dixit enim quia filius Dei sum.

QUIBUS verbis irridentes, exprobrabant Christo quatuor præcipua, in quibus Christus maximè gloriabatur. PRIMVM exprobrabant eius potestatem, dicentes, quòd qui alios saluos fecisset, seipsum non posset liberare. DEINDE, regnum etiam illi exprobrabant, dicentes; si Rex Israel est, descendat de Cruce, & credimus ei: atque si dicerent, tam est falsum ipsum esse Regem, quàm est impossibile ipsum de cruce descendere. TERTIO, confidentiam in Deum insimulabant, dicentes; confidit in Deo, quia illum amat: petat igitur ab eo, ut de cruce liberet; atque si dicerent, non liberabit illum: quia eum non amat. QUARTO denique exprobrabant illi dignitatem filij Dei, iudicantes eam fictam & falsam esse: Et in omnibus his quatuor, falsa multa inferebant; quia dæmon, qui Pater est mendacij, per eos loquebatur, tentans ita Christum, ut intelligeret, si esset filius Dei; qui quòd Gens illa in ipsum crederet, descenderet ipse de Cruce; sed bonus noster IESVS huiusmodi sannas patienter tollerabat, nullum verbum respondebat, nec illorum

lorum exprobrationes curabat, sciens ex malo animo illas procedere. O Agne mansuetissime, quid tibi reddam pro tanta patientia in huiusmodi sannis & blasphemis, contra excelsas & diuinas tuas virtutes toleratis? Quod ad gloriam tuam mihi est maximè in votis, illud est vt confiteor, quod isti blasphemi non sunt assecuti; & gloriè in eo, quod ipsi contempserunt. Confiteor te multos alios fecisse saluos, ac posse etiam te ipsum à cruce & à morte liberare; sed id tamen facere non vis, vt sic possis me saluare, quia vita mea pendet à morte tua. Confiteor etiam te verum esse Regem Israel; ac propterea, nolle te de cruce descendere, in qua regnum tuum auspica- ris, vt omnes ad te trahas, credituros in te. Denique confiteor, te in Deo, qui te vt proprium filium amat, firmam fiduciam habere; sed qui nolit te liberare, quia non est certum filiorum Dei iudicium, quod ab huiusmodi laboribus liberentur. Sed certum potius huius signum est, constanter in illis ad mortem vsque perseverare. Concede mihi, Domine, fiduciam hanc, tuæ sanctæ voluntati subiectam, qua possim in cruce perseverare, donec in ea expirem.

TERTIÒ *Illudebant etiam ei & milites, qui ibi erant, & legentes titulum crucis, dicebant; si tu es Rex Iudaorum, saluum te fac: Atque si dicerent, si tu es aded potens Rex, vt possis saluare & in libertatem vindicare Iudæos, libera te ipsum de cruce hac, in qua*

III.

Luc. 23. 37.

h h 5

pendes.

g Matt. 27.
44.
h Marc. 15.
32.

pendes. Eodem etiam modo latrones, qui cum ipso crucifixi erant, (testibus Mattheo & Marco) eidem g improperabant, & h contumeliabantur, ut mox videbimus.

IN his omnibus punctis, licet considerare, quantam poenam sacratissima Virgo sustinuerit, blasphemias illas audiens, quæ in filium eius dicebantur; capitum gestus, sibilos & sannas, quæ à blasphemis illis fiebant. Nam cum vidisset, quæ apud Caipham, & in Pretorio Pilati CHRISTVS perpeffus fuerat, disposuit diuina prouidentia, ut hæc opprobria & contumelias audiret, ut simul ipsius aures, hisce iniurijs & blasphemijs torquerentur; quas grauius multo ferebat, quam in ipsam dicebantur. Imò credibile est, fuisse illos persecutores, dum blasphemias in filium dicerent, etiam in Matrem, quæ talem filium peperisset, easdem tanquam ex repercussione coniecisse; illam verò admiranda patientia & silentio, exemplum inspicientem, quod filius illi dabat, tolerasse. O Virgo sacratissima quot gladij cor tuum afflictißimè transfixerunt! i *Lingua enim obrum blasphemorum gladij sunt acuti,* & bicipites, qui vno ictu filium tuum, teque eius Matrem pertranseunt. Cur ò Mater pijsßima, non aliquod verbum adfers in defensionem filij tui, cuius innocentiam & sanctitatem habes perspicuissimam! sed aduetto, non esse hoc tempus loquendi, sed tacendi; & quod doloris magnitudo, te mutam apud homines reddiderit,

quoniam

quamuis cum Deo nunquam cesses loqui.

DENIQVE & illud est perpendendum, quod Sanctus Lucas addit: & *k stabat populus* k Luc. 23. 35. *spetans*, scilicet Christum, qui aspectus non erat cum deuotione, sed cum irrisione: nam cum Christus inter sibi illatas iniurias ponit, cum dicit in Psalmo, *I ipsi uero considerauerunt, & inspexerunt me.* l Psal. 21. 18. O si isti infelices, Christum, ut oportuit, inspexissent; quanta ex ea inspectione bona retulissent? *si, m aspicere* m Num. 21. 8. 9. *serpentem aneum*, satis erat, ut, *percuti à venenatis serpentibus, sanarentur*; quanto magis sufficere aspicere Saluatorem, serpente illo aneo adumbratum, in crucis ligno pendentem, peccatoris figuram ideo præferentem, ut eos à venenatis peccatorum suorum moribus liberet? Concede mihi, Saluator mi, ut viuâ te fide & amoris ac deuotionis spiritu aspiciam & contempler; ut hoc aspectu reddar sanitati, fortisque euadam ad te laudandum, & tibi in secula seruiendum.
Amen.

